

definitionem rejicit Joh. Jac. à Canib. part. 1. num. 3. scribendo: *Mibi non plenè satisfacit, quoniam quidam sunt Executores honorarij, qui non debent exequi, sed habent consulere vel hortari.* Ergò * substituit aliam: *Executor sv. Commissarius ea fertur esse persona, cuius ope ac consilio ultima voluntas ad effectum perducitur; putatque hanc definitionem non æquæ, ac priorem, heredi vel fidei commissario convenire.* Jac. * de Are-
na tr. de Commis. num. 2. hanc tradit: *Commissarius est, cuius maximè fidei prædictorum dispositio seu distributio committitur.* Et * quis omnes adducere velit? Pleraque, etiam illi, quam Joh. Jac. à Canib. excipit, mix-
tum executorem immiscent, à quo tamen hic abstinere placet. Unde * omnium proximè ad nostrum scopum collimabunt, qui Executorem
merum descripsérunt; licet non adeò in genere assignando (nam e. g.
aliquibus quasi procurator dicitur. vid. Gratian. *discept. For. c. 163.
n. 67.*) convenient. Non vacat ex singulis conscribere: Satis esto, quod nostram sententiam exhibemus. *Executores* enim ultimarum volun-
tatum nobis sunt, personæ principaliter ad id constitutæ, ut le-
gitimam testatoris voluntatem adimpleant.* De singulis hujus
descriptionis verbis in seqq. antetamen de Divisione.

CAPUT III.

De Divisione Executorum U. V.

IN * veterum Jctorum scriptis divisio executorum nostrorum mul-
tis difficultibus implicatur; nam, ut habet Oldendorp. cit. t.
tit. 2. Dd. rixantur de nominibus, negligentes rem ipsam; multas exe-
cutorum species distinguunt subtiliter magis, quam cum utilitate fori.
Nos * relictis aliter sentientium opinionibus, Primum à causa Eff.
ipos distinguiimus in Conventos, Testamentarios, Legitimos,
& Dativos; teste Specul. de Instrum. Edit. §. 14. in pr. non nihil ad
similitudinem tutorum, de quibus in l. 52. C. de Episcop. & Cler. &
passim. Conventos * EE. dicemus, si testator ipse mandato, aliisve
partis de hujusmodi distributoribus ultimæ voluntati suæ provideret.
arg. l. 12. §. fin. l. 13. ff. mand. Philipp. de Franch. Perusin. consil. 116.
quod extat in volum. 1. Consil. à Joh. Zileto, I. V. D. Veneto, Colle-
ctor. num. 14. & 41. aut si quem executor constitutus substitueret.
vid. infra cap. 4. circa fin. Testamentarii * sunt, quos testator ultima
voluntate specialiter designavit ad illam, vel aliam ultimam voluntatem

C

suam,

5.

6.

7.

8.

9.

10.

2.

3.

4.